



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Oratio Pro Lvce Ad cognoscendam perfectionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

ORATIO PRO LVCE AD  
cognoscendam perfectionem.

**D**EVS gloria sanctorum, & corona perfectorum, qui eius boni, quod nobis benignissimè dare vis, cum oportet, primùm notitiam infundis, & lucem ad ipsum cognoscendum immittis: Concede nobis, quæsumus, ad perfectionem vocatis, & per assumptionem status religiosi ad sanctitatem inuitatis, ipsius perfectionis & sanctitatis notionem, ne hac notitia priuati per deuia vagemur, per dubia ambulemus, & quasi in incertum gressibus vitæ nostræ curramus. Emitte Domine lucem tuam, & veritatem, lucem, quæ tenebras auferat, & veritatem, quæ errores depellat, quibus deducamur à vilitate vitiorum nostrorum, & adducamur per virtutum actiones in montem sanctum tuum, qui sancta perfectio est; & per eius ademptionem in tabernacula tua. Tua enim lux non impotens est, sed potens; & tua veritas non infirma est, sed fortis, quæ intellectum afficiens, voluntatem mouet, & affectum inflammat. Hæc ergo lux nostram mentem illuminet, vt perfectionem cognoscamus, & nostram voluntatem accendat, vt ad eam adipiscendam curramus, & pennis veræ, & non fictæ sanctitatis ad supernam gloriam conuolemus.

Amen.

